Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Formido & fouea & laqueus super te qui habitator es terre.
Et erit qui fugerit a uoce formidinis cadet in foueam. & qui se explicuerit de fouea tenebitur laqueo. lxx. Ve preuaricatoribus qui preuaricantur legem. timor & fouea & laqueus super uos qui habitatis terram. & erit qui fugerit timorem cadet in foueam. & qui exierit de fouea capietur laqueo.
Hec est causa luctus & gemitus mei propter quam secundo dixi secretum meum mihi. quia omnes preuaricati sunt legem dei & nequaquam domini pena differtur. nec futura predicta sed eminax & habitatores terre captos tenet. Cumque se putauerint fugisse ex alio incident in aliud. & quocumque se uerterint. impendentem iram domini non euadent. Quia cataracte de excelsis aperte sunt. & concutientur fundamenta terre. confractione confringitur terra. contritione conteritur terra. commotione commouebitur terra. agitatione agitabitur terra sicut ebrius. & auferetur quasi tabernaculum unius noctis. & grauauit eam iniquitas sua. & corruit. & non adicit ut resurgat. Propterea formidinem & laqueum & foueam domini nullus euadet. quia cataracte de excelsis. siue ut lxx transtulerunt manifestius. fenestre celi aperte sunt. ut inde aspiceret dominus uniuersa peccata hominum. que prius quia non puniebat. uidebatur peccatoribus ignorare. Postquam autem apertis fenestris uidit cuncta mortalium peccata. conuersa sunt fundamenta terre. iuxta illud quod in alio loco dedi dei intuitus scriptum est. qui respicit terram. & facit eam tremere. Tunc confringitur & conteritur. & commouebitur atque agitabitur terra in similitudinem ebrii. non quo ipsa terra redigatur in puluerem & in nihilum. sed quo uniuersa terrena pertranseant. & succedat alia conuersatio.
Et quomodo ebrius nescit quid agat sed hebentibus ebrietate neruis. nec pes. nec mens. stat in suo officio. sic omnis terra